

ere cœpit. Verisimile enim est, Necum eo tempore devastasse Judæam, quam suo exercitu transiit, cui, Josia in prælio vulnerato brevi & mortuo, nemo ausus est resistere.

## §. 21.

Mortuo Josia Judæi in partes abierant, & quidam juniorem ejus filium, Joachazum, alii vero Eliakimum seniore in demortui parentis solum evehere cogitarunt. Scriptura S. de hoc negotio dixit 2. Reg. XXIII. v. 30. *Acceptit populus terra Jeboachazum, filium Josie & unxit eum, regemq; constituit loco patris sui.* Unde constare videtur Joachazum non a principibus & aulicis, sed a plebe electum, & in solum patris constitutum esse. Joachazus, qui & Schallum appellatur Jer. XXII. 11. non erat senior Josiæ Regis filius, sed junior, illo enim anno, quo regno admotus est, XXIII annos natus dicitur. 2. Reg. XXIII. 31. De Eliakimo vero, qui Joachazo tertio ejusdem anni mense post successit, refertur ibid. v. 36. quod XXV. annorum fuerit. Nec obstat, Jochananem, quem multi pro Joachazo habent, dici primogenitum Josiæ. Chron. III. 15 Hic enim vel alius a Joachazo, vel cum patre in prælio, vel ante mortem patris decessit, vel deniq; primogenitus dicitur respectu matris Hamutal. 2. Reg. XXIII 31. Certum ergo est, plebem terræ in solum evexisse Joachazum juniorem Josiæ regis filium, ex qua infelici electione multæ calamitates in Judæam irruerunt. Proceres enim & aulici, uti videtur, tenuerunt partes senioris filii Eliakimi, qui, uti fieri solet, dissidentes persecuti sunt, prædia eorum devastantes. Iidem proceres se converterunt ad Regem Ægypti Nechum, qui eo tempore in Carcemischi expugnatione prope  
Eu-